

Q. N. 355, 10.

II u
145

Q. D. B. V
PRAESVLEM SVMME REVERENDVM
PROCERES RELIQVOS AC PATRES VTRIVSQVE ORDINIS
GRAVISSIMOS
ET OMNES
QVI BONIS LITTERIS FAVENT
AD AVDIENDAM ORATIONEM
QVAM

DAVID GOTTLOBIVS TACHSELTYS FREIB

ALVMNVS MORIBVS ET DOCTRINA PROBATVS
CRAS CVM DEO D. XI KAL. QVINCTILES

A. R. S. clō 1ō cc LIV

ANNIVERSARIVM OFFICIVM

B. IO. CHRISTOPHORI RICHTERI

MANIBVS

QVA FIERI POTEST PIETATE PERSOLVTVRVS
DE ADMIRANDIS PLANE ELECTRICITATIS PHAENOMENIS

HABEBIT

EA QVA DECET REVERENTIA INVITAT


M. IO. ANDREAS LVTHERVS

CONRECTOR



FREIBERGAE,
Litteris MATTHAEANIS.

137



PRaeclare ac sapienter quondam IO. SPERLINGIVS, in dedicatione *Traëtatus physici, de formatione hominis in utero*, uti multa alia, ita et hoc pronunciauit: *Hominem esse, et humanae prolis initia non nosse, grande est nefas*. Quare me, perinde ut illum, nec piguit, nec puduit, hominis generationem, et in utero formationem, breuibus exhibere chartis, propterea, quod, eodem SPERLINGIO iudice, in fine citati libelli, haec hominis in utero fabrica dignissima est materies, quae semper sedulas pulset mentes, et nunquam non doctorum animos laeessat. Quae etiam ratio haud dubie mouit B. V. E. LOESCHERVM, τὸν πᾶν, ut in libro de *memorabilibus operibus Dei in regno naturae, artis et fortunae* p. 85. illos merito pudore suffundi debere, existimet, qui hoc opus naturae, sanctae admirationis plenum, aut parum diligenter, aut plane non meditentur.

Cum autem totum generationis humanae negotium tribus, quod dixi, momentis, embryonis in utero materno primo formatione, deinceps nutritione, ac denique partu, seu exclusione, absoluat; de formatione autem satis, pro insituti ratione, casto et ab omni obscenitate ac spurcitie remoto animo, a nobis actum sit; consequens nunc erat, ut de altero ac tertio momento pari ratione ageremus. Illud enim manifestum est, et per experientiam non minus, quam idoneis rationum monumentis, comprobatur, foetum, simulac conceptio facta est, statim motu salientis corculi, succis nutritiis in orbem pellendis destinati, vitam prodere, omnibus muniis ad sui conseruationem necessariis fungi, et successiue incrementa capere, donec ad iustam perueniat maturitatem. Qua impetrata, egressum ex utero in hanc lucem quaerit, quaesitum inuenit, inuentum defendit et obtinet, et sensim paulatimque ad naturalem molem ac staturam adolescit. Cuius quidem rei ratio ita comparata est, ut nos de praepotentis Dei virtute ac sapientia, qua mirifice cuncta fabricauit, manifestissime commonefaciat, et nos, ad reuerendum et omni concelebrandum laude immortalem hunc rerum omnium effectorem et architectum, manu quasi apprehensos, adducat. Quem in finem conferri merentur tria LAVR. HEISTERI meletemata, quorum prius *utilitatem anatomes ex partibus foeminarum*

minarum propriis, atque, ad procreandum, fouendum, excludendum alen-
dumque foetum, mira Dei prouidentia paratis, Helmst. 1722. alterum Dei
cognitionem ex partibus generationi dicatis, sapientissimoque instituto condi-
tis, et ad suam finem ordinatis, Helmst. 1724. tertium Dei existentiam ex
partibus genitalibus mulierum Helmst. 1727. demonstrat. Verum cum
 haec rectius ex medicorum libris addiscantur, et praeterea ad ea explicanda
 non leuis anatomes cognitio requiratur: vereor ne vitio mihi vertatur, si,
 his subsidiis non satis instructus, in huius argumenti explicationem descen-
 dam. Hoc autem facilius veniam eo mihi nomine datum iri, confido,
 quod ea, quae huc pertinent, ne summis quidem philosophis explorata sunt,
 nec vnquam fortasse explorabuntur, quantumuis, huic rei se satisfecisse,
 nonnulli, et anatomicorum, et physiologorum, arbitrentur. Quaecumque
 enim de nutritione foetus eligatur sententia, siue illa a materia nutritia
 lymphatica, ex liquore amnii per os hausta; siue a sanguine materno,
 per venam umbilicalem ad foetum delato, quae inueterata et commu-
 nis fere physiologorum adhuc fuit opinio; siue ab utroque deriuetur,
 nulla sane difficultatibus suis caret. Vid. cel. D. GE. AVG. LANG-
 GVTHI Disp. *de nutritione foetus per solum umbilicum*, Vit. 1751,
 habita, ubi huius rei historiam, inde ab antiquissima aetatis memoria ad
 recentissima vsque tempora contextam perfecutus est.


Denique ad legitimam foetus exclusionem quod attinet, quae, ra-
 tione matris, partus, ratione foetus edendi, natiuitas vocatur, quae hic
 afferri poterant, rectius ex artis obstetriciae praeceptis hauriuntur, quam
 a nobis tradi possunt. Illud interim operae pretium est obseruare, ma-
 teriam, in ouulo foecundato contentam, *γονήν, genituram*, appellari; ubi
 autem humanam formam induit, *κόνημα, foetum*, audire; et quando
 magis perfectus est, et opportuna exclusioni idoneus fit, *ἐμβρύον, em-*
bryonis, nomen sibi vindicare; quamprimum autem huius vitae ac lucis
 vsura extra uterum fruitur, *βρέφος* seu *παιδίον*, infantem, nuncupari. Vid.
 CHRISTOPHORI PECELII *Oratio, de generatione hominis*, quae
 et separatim extat, et T. VI. Orationum Vitembergensium habetur.
 Ad quem eo lubentius prouoco, quod totum generationis opus, prae-
 euntibus

PK III 145 X 338 08 19

euntibus sacris litteris, ad imaginem spiritualis ecclesiae, et singulorum
piorum regenerationem, et ad verbi diuini ministerium, denique ad aeter-
nam vitam, accommodauit,

Quo magis autem ingens hoc naturae mysterium considero, de
quo megalander noster, LV THERVS, grauiter, pro more suo, pro-
nunciabit, si singulis modo centum annis homo nasceretur, totum mun-
dum summa id cum veneratione contemplaturum esse: eo maiori ad-
miratione afficior, cum, aeternum DEI filium, in vtero beatæ virginis
Mariae, humanam naturam induere, et ex insigni *Φιλανθρωπία* per
conceptionem, vt miraculose sine virili semine factam, per nutritionem
et natiuitatem, nobis similem fieri voluisse, recordor. De ratione et
modo huius conceptionis praestaret quidem tacere, vt mysterio huic
ὁμολογούμενης μεγάλα, quod veteres a sacro silentio maxime commen-
dabant, suum ius tribueretur, quam illud curiosius rimari: sed religio-
nis christianae intererat, vt diuina veritas, ab aduersariis oppugnata, sa-
cris litteris conuenienter a theologis nostris vindicaretur. Docent itaque,
conceptum esse seruatorem nostrum, qua naturam humanam, a Spiritu
sancto, non *σπερματικῶς*, tanquam a parente, per generationem, quod
Sociniani volunt, sed *δημιουργικῶς*, tanquam a creatore, per carnis assu-
mendae praeparationem. Porro monent, *ἐπέλευσιν* Spiritus sancti tribus
absolui actibus, quorum primum faciunt *ἀμυστον ἐίργειαν*, h. e. imme-
diatam formationem, seu segregationem massæ, vel particulae illius, ex
qua Christus dicitur conceptus; alterum *θαυμάσιον ἀγιασμόν*, eiusdem
miraculolam purgationem et sanctificationem; tertium *ἀόρητον ἕνωσιν*,
ineffabilem vnionem, qui tamen actus consequens potius conceptionis dici
meretur. Primus actus faciebat ad perfectionem hominis; alter autem
ideo erat necessarius, vt Christus esset *ἀκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος*
ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν, Hebr. VII, 28. *ἀναμάρτητος καὶ ἄδολος*, I. Petr.
II, 22. *τὸ ἅγιον*, Luc. I, 35. *χαρὶς ἀμαρτίας*, Hebr. IV, 15. Facta de-
inceps coniunctione vtriusque naturae, in vtero creuit Dominus, et sensum
paulatimque maiorem acquisiuit staturam, donec debito
infantis habitu prodiret in lucem.





B.I.G.

Farbkarte #13



II u
145

Q. D. B. V
EM SVMMME REVERENDVM
VOS AC PATRES VTRIVSQUE ORDINIS
GRAVISSIMOS
ET OMNES
ONIS LITTERIS FAVENT
AVDIENDAM ORATIONEM
QVAM

LOBIVS TACHSELTVS FREIB
ORIBVS ET DOCTRINA PROBATVS
I DEO D, XI KAL, QVINCTILES
A. R. S, clb Ib cc LIV
VER SARIVM OFFICIVM
ISTOPHORI RICHTERI
MANIBVS
OTEST PIETATE PERSOLVTVRVS
PLANE ELECTRICITATIS PHAENOMENS
HABEBIT
DECET REVERENTIA INVITAT
NDREAS LVTHERVS
CONRECTOR

FREIBERGAE,
litteris MATTHAEANIS.

137

